



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quæ erat consuetudo coniugij sub lege. C

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

nunc concubinas. Rachel tamen & Lya ambæ uxores fuerunt, non concubinæ.

Oppositio.

Si quis opponat, quod fidē thori non seruabant illi patres. Dicimus, in hoc seruasse fidē thori, quia non aliis, sed propriis vxoribus vel ancillis miscebantur. Ecce quæ fuerit consuetudo in hac re ante legem. Legis vero tempore interdixit Moyses carnalem copulam fieri cum matre cum nouerca cum sorore, cum nepte, cum amita, cum matertera, cum nuru, & aliis quibusdam. Permisit autē diuortium fieri dato libello repudii: in quo vir scribebat causas, pro quibus vxorem repudiabat. Permisit autē aliam ducere dato priori libello: quod propter duritiam cordis eorum permissum Christus dicit, non ut concederetur dissidium, sed ut tolleretur homicidium. Permisit fieri mala, ne fierent peiora: & hoc permittēdo non Dei iustitiam demonstrauit, sed in peccatore minuit culpam.

Cui licebat plures habere vel non.

Sed nunquid sub lege licebat habere plures uxores? Audi quid scriptum est in Deuter. Non habebit rex uxores plurimas, quæ alliciant animam eius. Super quem locum ait Aug. Manifestum est Salomonem hoc præceptum transisse. David autem plures habuit, nec præceptum præterit. Permissum est enim regi plures habere, non plurimas, quæ alliciant animam, multiplicare autē. Cum tamen additur, Ut non eleuetur cor eius: alienigenas prohibitum esse videtur. Veruntamen multiplicatio vxorum generaliter prohibita est. Permissum est autem regi plures habere, sed non multiplicare. Veniente autem plenitudinis tempore, quo Christi gratia ubiq; est dilatata, reducta est lex nuptiarum ad priorem honestioremq; institutionem: ut vnus vni in figura Christi & Ecclesiæ coniungatur. Nec quaeritur electio muneris in successione

Leuit. 18.

Deut. 24. a

Matth. 19. a

Deut. 17. c

2. Reg. 11 b

Aug. ca. 27. ad illud

Deuter 17.

Non multiplicabit 4.

1. Reg. 1. c

Gal. 4. a